

† Fr. l. prof. Gustavus (Gerardus) Knockaert (1845–1928).

(*Prov. Parisien.*)

Fr. l. *Eduardus* Knockaert (1829–1909) tantopere et virtute et laboribus pro Congregatione exantlatis in vita eminuerat, ut post mortem suum biographum invenerit, R. P. Girouille. (1) Patruo autem suo plane dignus fuit *Gustavus* Knockaert, in religione *Fr. Gerardus*, cuius pretiosam vitam nuper Provinciae Parisiensis Chronista, R. P. Eduardus Gautron, publici iuris fecit. (2)

Fr. Gerardus, licet in Belgio natus, nempe in urbe flandrica *Courtrai* d. 16 Iun. 1845, tamen, similiter ac Fr. Eduardus, Provinciae Gallicae adscriptus est. Orbatus patre in aetate tenera, matrem piissimam, Constantiam Coletam Buysschaert, diutius itineris ad paradisum moderatricem habuit; quae cum demum exeunte a. 1899 in Domini osculo obdormisset, R̄m̄s P. Raus filium consolatus est verbis: « Quae scripsisti de ultimis amatissimae matris tuae momentis, venerationem meam erga ipsam auxerunt. Cotidie eam Iesu et Mariae commendo, quamquam potius ad eam invocandam impellor; nam iam diu eam in caelo esse existimo. »

(1) H. GIROUILLE, *Le Frère Edouard*. Casterman, 1912.

(2) Vide infra in bibliographia.

Gustavus noster erat puer optimi ingenii. Absoluta schola elementari etiam picturae linearis in academia patria incubuit, et cum ultimo concursu omnes discipulos superasset, iuxta morem tum vigentem triumphanter, equo albo insidens, per urbem vectus est.

Cum eius patruus, Fr. Eduardus, a. 1864 ad alterum novitiatum proficisceretur, fratris filium ad se Insulas (*Lille*) vocavit et de magno vocationis negotio cum eo egit. Anno insequenti Gustavus, tum adulescens 20 annorum, revera saecularem vitam cum claustralii mutavit, at non pro-

prie qua candidatus, sed ut patrum in exercenda arte iuvaret et maturius de statu vitae capessendo cogitaret.

Laborabant ergo simul Eduardus et Gustavus, modo simplici opere lignario, modo sculptura, modo architectura occupati. Simul etiam orabant, et frequenti oratione officinam verum oratorium constituebant; nam Fr. Eduardus non cessabat repetere illud Patris legiferi: «Qui orat, salvabitur; qui non orat, damnabitur.» Indole quidem satis inter se differebant, siquidem Fr. Eduardus erat animi ardantis et incitati, Gustavus tranquilli; at in oratione et sectanta christiana perfectione ambo magis magisque fiebant *cor unum et anima una*.

Paulatim Gustavus clare intellexit a Deo se vocari ad vitam humilis Fratris servientis in Alphonsiana fa-

milia gerendam, et ab hoc proposito sancto non dimovebatur etiam tum, cum P. Provincialis Desurmont iuveni optimo ingenio pollenti clericatum obtulit.

Ab ipso P. Desurmont d. 28 Dec. 1870 habitum Congregationis novumque nomen *Gerardum* accepit, et in eiusdem manus kal. Mai. 1874 vota emisit.

Fr. Gerardus permultis locis praeclaras suas dotes in Congregationis commodum adhibuit: in Dunquerque, Châteauroux, Avon, Gannat, Parisiis via *Charonne* et via *Ménilmontant*, in Oosterhout, Gelen, Stratum, Dongen, Uvrier. In hac ultima domo quodam die, cum exstruendo bello sacello novo occuparetur, ex scala decidit, sed divina Providentia manifesto servatus sine laesione graviore evasit. Solummodo runcinae exinde valedicere coactus est ob fractum os manus dextrae, quare totum se *architecturae* dicavit.



Anno 1890 et sequentibus Antoniaci magnum novum collegium erexit et Thuriaci novam studiorum domum adaptavit. Sed humilis architecti summus gloriae titulus, si ita loqui fas est, fuit illud, *quod Matri de Perpetuo Succursu tot paeclarata templo excitare potuit*, videlicet Matriti, Parisiis, Riedenheimii, Sabuletis Olonensis, S. Iacobi de Chile, et ipsum Sanctuarium Romanum amplificare et pulchrius reddere. Etiam Chilena ecclesia S. Bernardi eum architectum habuit.

Fr. Gerardo prae ceteris stilus goticus (*ogival*) placebat, utpote qui contemplantium animis validius illud *Sursum corda!* ingerat, atque hoc stilo paeclarata artis opera perfecit. Ecclesia nostra Matritensis viae *Manuel Silvela*, a. 1898 sollemniter consecrata cum ingenti fidelium concursione, communiter inter pulcherrimas urbes habetur. — Ecclesia S. Iacobi de Chile ab Illmo Battandier « civitatis res pretiosissima » (1) vocatur, et in litteris Apostolicis diei 14 Ian. 1926, quibus Basilicae Minoris titulo decoratur, appellatur « sacra aedes ingenti structura et mirificis artis operibus ornata. » (2) — Aediculam *des Sables d'Olonne* Episcopus Lucionensis, Illmus Catteau, « exemplar sui generis » dixit (3), et formae apographum habere voluit. — De aede Parisensi Ménilmontant vir laicus Thirion scripsit: « Pulcherrima est, non ornamentorum splendore, sed pulchritudine artificiosa et lineamentorum sublimi audacia. » (4)

Anno 1898 Fr. Gerardus primum *Romam* vocatus est, una cum egregio pictore, *Fr. Maximiliano Schmalzl*, Prov. Germ. Sup.; Rmns enim P. Generalis Raus scripserat: « Urbanum S. Alphonsi templum fiat oportet opus artis, non nimiae quidem, at praecipuae ac selectae. Puto autem in universa Congregatione non inveniri ecclesiam, quae nostrâ magis instaurazione egeat. » Insuper aedes paululum saltem amplianda videbatur, quandoquidem accessio maior fieri non poterat.

Quodsi lector benevolus aspectum ecclesiae anterioris, prout in libro *Villa Caserta* ad pag. 54 et 56 exhibetur, cum hodierno aspectu externo et interno comparare voluerit (5), insigne artificium duorum Fratrum supra dictorum non poterit non admirari. Quam elegantia sunt v. g. illa *triforia*, quae vocantur, inter arcus laterales et fenestras superiores! (Ut nihil dicamus de spatio aedi sic addito, praecipue in commodum communitatis nostrae.) Porticus quidem parva ecclesiae praesposita et frons immutata non ab omnibus laudantur, sed in universum de aedis forma post instau-

(1) *Principal bijou de la ville.*

(2) *Analecta V*, 9.

(3) *Un modèle du genre.*

(4) *La chapelle: elle est magnifique, non point par l'éclat de ses ornements, mais par la beauté artistique et la hardiesse inspirée de ses lignes.*

(5) Ibid. ad pag. 234, 236, 240; HENZE, *Mater de Perpetuo Succursu*, fig. 36 a et 36 b.

rationem annorum 1898-1900 *R. P. Walter* non dubitavit scribere: « Inter praeclera christiana artis opera, quibus Roma prae ceteris totius mundi urbibus abundat, suum nunc, etsi modestissimum, locum obtinuit S. Alphonsi in Exquiliis ecclesia. In fulgidis adamantibus et pretiosissimis gemmis, quae Urbis caput velut regio diademate cingunt, tamquam nitidus lapillus relucet. Cui quidem decori quoties splendor cultus accedit, tanto religionis sensu tantaque animi iucunditate fideles ad eam confluentes abripiuntur, ut rerum terrestrium oblii, in paradisi vestibulum se translatos existiment. » (1)

Nulla igitur oblivione obliteranda est memoria eorum, quibus haec templi innovatio debetur, inter quos sane haud ultimum locum Fr. Gerardus occupat. Qui etiam accuratam adumbrationem mutationum in presbyterio aedis adhuc faciendorum confecit, sed, proh dolor, speciem illam novi altaris maioris, quam diu iam meditabatur et plus minusve mente conceperat, quominus graphicè signaret, morte impeditus est.

Vicies circiter Fr. Gerardus iter in Italiam fecit; nam inter S. Alphonsi ecclesiolam et domum generalitiam etiam novum sacellum domesticum et vastum sacrarium fabricatus est. Templo Pontificio S. Ioachim de Urbe, a Leone XIII nostrae curae commisso, adiunxit collegium nostrum. Idem Summus Pontifex eum Maio 1900 Romam vocavit, ut de fabrica aedium Lateranensium suum *periti* iudicium ferret, idque postea magni habitum esse constat.

Monasterium sanctimonialium Scalensium per ipsum instauratum et amplificatum est. Redemptoristinis alibi quoque dotes ac vires suas dedicavit ut architecton monasteriorum S. Amandi, et Wargniesensis ac Namurcensis. Longum autem foret, si vellemus omnia hic enumerare, quae in aliorum exterorum utilitatem architectus est. Claudimus igitur indicem operum eius duplici domo Muscronensi, quarum una, S. Gerardo sacra, est Provinciae Parisiensis iuvenatus. Ibi pecuniarum exiguitate prohibebatur stilo gotico uti, atvero gratiosum sacellum S. Gerardi cum suo tholo demonstrat eum minime ad unum stilum determinatum fuisse.

In hac domo Mouscron pius architectus noster etiam de hac vita descessit, sabbato, d. 17 Mart. 1928, inter precationem *Angelus Domini*. Alvus occlusa et accedens peritonitis seni 83 annorum ultimis diebus dolores atrocissimos creavere, et agonia duravit inde a vespera fer. V; sed in mediis tormentis et in mortis conspectu virtus carissimi confratris adeo effulsit, ut communiter *heroica* vocaretur et ipse medicus diceret: « Quid Sancti melius facere possint, equidem non video. » Quanta eius humilitas! Quam viva beneficiorum acceptorum memoria! Quanta animi hilaritas, cum per momenta dolores vehementes remittebantur! Qui spiritus ora-

(1) *Villa Caserta*, pag. 236.

tionis! Quae filialis pietas erga Iesum et Mariam! Quae caeca obedientia! Et super omnia quanta patientia et propriae voluntatis ad divinam conformatio!

---

Sed Fr. Gerardus ideo talis in mortis lectulo apparuit, quia *in vita iam religiosus perfectus fuerat*. En aliquot documenta. Exstat libellus, in quo sua manu singulis 58 annis vitae religiosae (1870–1928) conscripsit saltem unum longiorem actum consecrationis ad B. M. V. Sicut ex addito loco longa series stationum peregrinationis eius terrenae appareat, ita ex eius verbis mira devotio in dulcissimam Dei Genitricem. Prae ceteris sacra *Imago Matris de Perp. Succ.* ei cara fuit, et in notis relictis testatur, quantum opere sit animo commotus, cum primum a. 1898 ante prodigiosam Iconem genua flectere ei licuisset. Coram eadem imagine Virginis opiferae Muscronii alibique multas horas orando transegit. Cotidie recitabat integrum Rosarium, coronam Septem Dolorum, coronulam Immaculatae Conceptionis aliasque preces Mariales. Augustissima autem caelorum Regina servum suum fidelissimum dignum habuit, qui tot templa et altaria ipsi erigeret, forte plura, quam quisquam aliis, et qui die sibi sacro cum omnibus praedestinationis signis vitam finiret.

*Per Mariam ad Iesum!* Quid mirum igitur, quod Fr. Gerardi oratio ultimis diebus praedilecta fuit: «*Tout à Jésus par Marie!*» Hic aemulus S. Patroni sui iam hora 3 e lecto surgere consueverat, quo diutius coram tabernaculo orationi vacare posset. Meditatione cum communitate finita pluribus Missis, quantum fieri poterat, inserviebat aut pie intererat. Diebus vero dominicis fere semper in sacello sacras excubias agebat. Redemptoristica quaedam testatur semper eum, cum mane porta sacelli aperiretur, iam foris exspectasse et diei multum ante SS. Sacramentum orando transegisse, saltem per horam post prandium et diu post cenam.

Notabatur etiam communiter eius singularis *modestia*, quam omnes obviam ei facti statim admirabantur. Quae Regula de oculorum custodia praescribit, ea ad amussim servabat. In monialium conventibus ob officii sui negotia commorans nunquam sine necessitate Sororem aliquam alloquebatur.

Et quid de eius *humilitate* dicamus? Ornatus erat dotibus praeclaris, et praeclera opera conficere, adiuvante Deo, potuerat; tamen unus ex humillimis Fratribus servientibus erat, mirum quantum erga proximum, maxime sacerdotes et religiosos, venerabundus. Ipse quoque noverat motus amoris proprii, immo saepissime de «superba sua natura» lamentabatur, at viriliter ac constanter contra «veterem hominem» pugnabat. Laborans in monialium monasteriis, s. communionem recipiebat ultimo loco, post Sorores conversas aliosque fideles. Romanum iter consueverat uno tractu

facere; sed si mane in Alma Urbe advenerat, post prandium illico eum videres una cum aliis Fratribus in culina aut refectorio humilem operam navantem. In mortis lectulo iacens identidem gemebat voce submissa: « Miserere, Deus, huius peccatoris senis, qui tantopere te offendit! »

At, ne longi simus, legentes ad libellum Patris Gautron remittimus, dicto pulcherrimo Fr. Gerardi istam brevem memoriam concludentes. In ultimo enim morbo haud semel dicebat: « Quam insigne beneficium est vocatio nostra! Utinam eam nunc intelligeremus, sicut in caelo perspiciemus! Quam grato animo Deum prosequor, quod me vocaverit ad serviendum sacerdotibus! O dignitatem sacerdotis, praesertim sacerdotis Redemptoristae! Demum in caelo omnia per Congregationem accepta animo comprehendemus. » R. I. P.